

Professori & Superintendenti optimè de scholâ & Ecclesiâ merito, (à quo me è sacro baptismatis fonte susceptum, non sine voluptate recordor) in pastornatu succederet.

Hic vero occasionem nactus commodam, & quod aliquoties à studiosis & alijs rogaretur, ut uberrimam ingenij & eruditionis suæ messem pluribus communicaret, absoluta vicariâ lectione Catechesi, Idomi locos communes Philippicos interpretari cæpit, absolutoq; loco quolibet, disputationem subjunxit: motus ad id, cum temporum ratione, quæ quò periculosa sunt, eò magis in pugnis hisce velitatorijs exercendos tyrones rectè existimabat: tum rei ipsius utilitate: *Disputationis enim disciplina, dicente Augustino, ad omni genera questionum, quæ in libris sanctis sunt, penetranda & dissolvenda plurimum valet, tantum ibi cavenda est libido rixandi, & puerilis quedam ostentatio decipiendi adversarium.*

Ita ergo studiosorum commodis inserviens LOBECHTUS, nominis famam non tantum apud nos, sed alibi quoq; adeptus est egregiam. Cumq; jam sæpius rumores non falsi spargerentur, illum vocatum iri vel in patriam, vel aliò: senatus Reipublicæ hujus prudentissimus, alter Academiæ patronus, ut Ecclesiæ & Academiæ suo quoq; loco consulere (instinctu viri præstantissimi Dn. IOHANNIS KELLERMANNI Consulis amplissimi, Academiæ fautoris & Patroni desideratissimi, columnæ urbis hujus, dum vixit firmissimæ) virum hunc tantæ spei nequaquam dimittendum censuit: sed cum eum tam egregijs docendi donis instructum intelligeret: Theologos vero suos, patrem meum filiali obsequio colendum, & senili canitie venerandum Dn. Schachtium, emeritos jam videret; nec Academiæ incremento Republica

Anno 1593.

lib. 2. de
doctr.
Christiana.
cap. 31.